



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Diserta proles.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A autem ut Taurus is in Andrum insulam exiliret: memores ergo præcepti, Reges statuam erigendam curavere, quæ postea id cognomenti Minervæ dederit.

BACCHUS. CAP. XXXIII.

Et Bacchus, ut superius dictum est, in Tauri nuncupationem venit, quem *ταυροφάγον*, veteres appellavere: propterea quod, ut Sophocles author est, qui Dithyrambum vicisset, Bovem assequeretur præmium, veluti Tragicis olim Hircus debebatur. Aristophanes tamen nomen id in Cratini contumeliam detorquet, quasi ebrium insimularet. Apud Athenzium legere est, Bacchum Tauro & Pardali esse similem, ob ebriosorum violentiam: vinosam enim esse Pardalim, loco suo positum. Lycophron eum omnino Taurum vocat, poetæ Draconem Tauri patrem canunt, per illum Jovem, per hunc Bacchum intelligentes. Sed ut ad Apim revertamur, is in civitate Memphi Solis instar excipiebatur, & apud Heliopolim Taurus Soli facer erat, quem Neriton appellabant. Illud verò fabulosum judico, quod Hermuti oppido tradunt fuisse Taurum, qui maculas per singulas diei horas permutaret, de quo Macrobius. Verum hoc nihil ad hieroglyphica.

BITHONIS ROBUR. CAP. XXXIV.

Qui vero Taurus humanis humeris gestatus Argis visebatur, Bithonis factum indicabat: qui suo fretus robore, dum Argivi Jovi sacrificarent, Taurum in humeros sustulisse fertur: summum enim vitium experimentum apud veteres erat Tauris robore præstare. Hinc Milo apud Theocritum celebratus, qui Taurum pede arreptum ad amicam traxerit. Hinc Busiridis nomen, quod duos solus Boves quaqua vellet traheret. Fuit vero is Ægypti rex, quem Poetæ crudelitatis in humanum genus atrocissimæ notaverunt. In Seleuci autem numis & Taurus, & alibi tantum cornua spectantur: quippe quod Alexandro sacrificaturo, sylvestrem Taurum è vinculis elapsum ambabus tenuit. In ejus statuis videas nonnunquam cornua superaddita.

PIETAS. CAP. XXXV.

In antiquis operibus juvenes duo subjeçi jugo, currum trahere conspiciabantur, erant hi Bithon & Cleobis fratres. Hieroglyphicum id eorum indicat pietatem, qui matrem curru impositam ad Junonis templum vexerint. Historiam & Pausanias & alii tradidere.

VELOCITAS NEGOTIORUM. CAP. XXXVI.

Duo vero Tauri inter se pugnare per nocturnam imaginem visi, negotiorum velocitatem præfigere dicuntur; ut Hebraicæ quædam somniorum interpretationes prodiderunt. Astronomi eum furis agitandum dicunt, cui decimus octavus Tauri gradus nascenti affulserit, eaque de causa locum eum Tauris duobus sese cornu petentibus signatum veteres voluere.

DISERTA PROLES. CAP. XXXVII.

Hebraei vero juniores cornupetam Taurum per somnium imaginari, indicium esse dicunt disertissimæ proles suscipiendæ: quo forte spectat Virgilianum illud, Taurum Polioni pascendum.

Jam cornu petas, & pedibus qui spargat arenam.

propterea, quod nova ille carmina faciat, qui quidem sunt ingeniorum fetus: *ἡ πλεεργον* & hoc addam (quamvis non sum nescius, quid Grammatici super locutione, quæ nova est, disputent) dici tamen posse Virgilium ad Pindaricum illud respexisse, quod Olympiis habetur Epharmosto:

αἶψα ἢ παλαιὸν ἐπιείκων, ἀνθρα δὲ ὕμνων νεωτέρων.

Vinum quippe à veteritate commendare congruum esse, à novitate autem poemata. Flores enim pro recenti re positum ajunt interpretes.